

Sectio III. Quid intelligere aliqui videantur per Præjudicium?

125. Aliqui videntur Præjudicium vocare omnes illas notiones, sententias, doctrinas, principia, agnitiones omnes, quæ nobis magistrorum præceptionibus ingeneratæ sunt. Atque hæc vocant præjudicia infantie, præjudicia educationis.

126. Horum conatus non tendunt ad eundem omnes finem. Alii enim bono animo videntur esse, & nos velle reges facere, aut saltem proceres in decantato illo regno rationis. Volunt nos scientiæ apicem attingere. Hinc jubent Cartesio auctore, ut de omnibus rebus saltem semel in vita dubitemus: & vel maxime de iis, quæ auctoritate magistra didicimus: atque adeo jubent nos Præjudicia infantie & educationis ponere, si sapere velimus. Addunt tamen, id speculative tantum fieri debere: hoc est tantum intra animum contemplantem res, non intra animum volentem, multo minus in externa vita & moribus.

127. Verum si de omnibus rebus est dubitandum, cur excipiunt mores, & res appetendas? Cur non etiam de hoc dubitem,

an sit dubitandum de rebus appetendis? Certe num dubitandum sit de appetendis, quæstio non practica est, sed speculativa. De speculativis autem omnibus est dubitandum. Dubitandum igitur etiam de hoc est, an in appetendis valeant præjudicia, an præjudicia hæc dubitatione sint tollenda?

128. Quod si deinde dubium de hac dubitatione facienda resolvero affirmative (& quis prohibet in speculativis & scientiis, hoc est in regno rationis?) nempe dubitabo de omnibus practicis, & appetendis: atque hunc in modum horum præcepta tendunt ad id ipsum faciendum, quod prohibuerant: secum pugnant istorum doctrinæ.

129. Deinde isti reges aut proceres regni rationis, quam mirabilem nobis tradunt logicam seu artem rationalem? Rationi nostræ persuasum est, in rebus plurimis nos tenere sensum communem, experientia nobis universali certum. Firmata est in his ratio nostra. Sed hi nobis dicunt, nos in hac re ægros esse: medicinam ergo nobis adhibere volunt. Sed qualem illam? Volunt firmitatem nostram curare vacillatione, sensum communem volunt emendare dubitatione, non quacunquæ, sed dubitatione de rebus

rebus omnibus. Scientiam promittant rerum omnium, & incipiunt à dubitatione rerum omnium.

130. Excipient illi, dicentque: Nostra medicina non est dubitatio, sed à dubitatione incipimus tantum, ceterum in scientia finimus. Nam qui non dubitat, non inquirat rationes: dubitatio facit inquirere rationes: rationes faciunt scire, faciunt esse nos cives regni rationis.

131. Ad hoc imprimis dico: anceps hoc esse negotium, & Cartesius hujus consilii auctor documentum ipse posteritati est, quam malus fuerit medicus, aut saltem quam male ceciderit curatio. Loco rationum enim, quas promiserat, edidit figmenta, hoc est confictas hypotheses, turbines, materias detritas, & nescio quæ sarmenta, scobemque pharmacopolarum. Quæsitus, num revera natura ita habeat? Non, ait, hoc dico: sed si hoc fingo, cetera inde exponere possum, & veras scientias adornare. Infelicitas ingenii humani promisit sibi figmentis, ac somniis pro principio locatis, ædificare veritatem, hoc est, regnum rationis posse!

132. Rursus dico ad hoc: Nos, quando scientias à puero didicimus ex præceptis magistro-

rum, jam tum implevimus hoc Cartesii documentum, hanc legem dubitandi. Quippe antequam disceremus, primo quidem ignorabamus omnia infantes: tum pueri dubitabamus de omnibus, eamque ob causam de omnibus sine fine sciscitabamur ex nutricibus ex præceptoribus: hac via ex dubitationibus, hoc est ex pueritia erepti sumus. Fecimus jam semel legi, Cartesi, tuæ fati.

133. Non fecistis fati, inquit Cartesius. Post has etiam scientias dubitandum est de omnibus; hæc scientiæ, præjudicia sunt infantie; deponenda hæc sunt; dubitate, dubitate.

134. Eja ergo dubitemus, & quoniam ita præceptor jubet, sequemur auctoritatem tuam, & novo nos præjudicio auctoritatis involvamus, non jam præjudicio infantili, sed præjudicio virili ac valido. Incipiemus à tuo alphabeto: Cogito: Ergo sum. Sed tuum secuti præceptum, incipiemus jam nunc dubitare, an cogitemus? dubitandum enim semel de omnibus est: in omnibus est cogitatio: dubitandum semel de cogitatione. Ut eximis hoc dubium bone præceptor? Promisisti, si inciperemus à dubitatione, præsto deinde fore medicinam rationem, ex ratione scientiam, ex scientia regnum. Ratione ergo demon-

demonstram mihi, an cogitem? Dubito enim. Aut vis me semper dubitare? Hocne est regnum rationis?

135. Sed fecero hunc primum passum in tenebris. Quamvis in tenebris nesciam, quo vadam, tamen metui imperabo & faciam passum alterum, te, Cartesi præceptor, præeunte. Ergo sum, inquis, quia cogito. Sed ego ex lege tua nec cogito nec sum, sed dubito, & sicut de omnibus, ita dubito etiam de hac consecutione, an esse meum consequatur propterea, quod cogito. Nam utrum cogitem dubitandum est: ex re dubia non sequitur certa: igitur ex cogitatione mea mihi non sequitur esse meum, nisi dubium.

136. Verum ego, præceptor mi, haud ero tam obstipito collo discipulus, si, qui iussisti dubitare de omnibus, nunc jubes me de nulla tua doctrina dubitare, sed omnes accipere, obnoxium, geram tibi morem, omnes accipiam. Totus ero Cartesianus.

Postquam totus jam sum Cartesianus, visne me talem manere? an permittis mihi doctrinam tuam, qua imbutus sum, examinare, deque ea dubitare?

137. Permittis id mihi? Sed unde dubitationibus me liberabo? an tibi, an alteri me rursus

discipulum præbebo? Hacque nova disciplina iterum eruditus iterumne dubitabo? Et si de hac jam tertia disciplina non debeo dubitare, cur debui de secunda, cur de prima? Si vero etiam de tertia est dubitandum, certe dubitandum erit & de quarta, de octava, de trigesima, de centesima, & dubitandi nullus erit modus, erimus sine fine dubitantes.

138. Si non permittis mihi de tua doctrina dubitare, multa me angunt. Etenim vereor, ne quemadmodum tu dixisti, priorem scientiam meam fuisse præjudicia educationis, ita veniat post te alius Wolffius, aut Leibniti, qui mihi dicat, scientiam meam à Cartesio acceptam esse præjudicia educationis, jubeantque me illa deponere, si sapere sit animus.

139. Ad turbas has componendas, auctoritate uti me omnes prohibetis, quia auctoritas præjudicium est. Ratione componi non potest hæc pugnatio, cum ratio pugnet hujus dux sit & auctor.

140. Et hætenus quidem de Cartesii similibus doctrinis egimus. Prudentiores videntur ea libertate in speculatricibus tantum scientiis uti velle: quamquam ex consequentia, ut ajunt, doctri-

doctrinæ idem admittere debeant in appetendis, hoc est in practicis & moralibus. Nunc ad alios progrediamur.

141. Alii hispidiores nihil plane faciunt reliquum, quod non tanquam Minoës & Rhadamanti ad tribunal vocent suum. Quidquid in moribus, in divinis, in scientiis didicimus à præceptoribus, præjudicia sunt, auctoritate duce nobis imposita. Deponenda ista omnia, præ omnibus vero in Africam, imo extra fines orbis terrarum ejicienda est auctoritas divina æque, ac humana, pestis illa scientiæ, & regni rationis hostis unica. Quomodo enim stabit regnum rationis, ubi quis angulus auctoritati relinquitur?

142. Gratulamur interea felicitatis humanæ instauratoribus. Sed ne triumphum ante victoriam. Gundlingio Discours über das Natur- und Böcker-Recht, Cap. I. §. 5. MISERABILES sunt ii, qui, quid sit justum, hoc est, quid homini juste appetendum, volunt ex auctoritate discere; quia possunt illud discere ex ratione. Wolffio in Præfatione Philosophiæ practicæ universalis, HUMIREPUNT, qui ex auctoritate discunt bonum ac malum, altum vero sapiunt ii,

qui mathematicè illud demonstrare usque ad Atheismi confinia sciunt. Auctori Spiritus legum, ii habent SUBLIMEM RATIONEM, qui leges, religionem, veritatem substernunt utilitatibus societatis terrenæ, & maxime climati, tanquam primo omnium imperiorum. Alii ergo, qui terram, succos, nervos subordinant veritati, DEO, ipsi sunt HUMILES. Puffendorffius Lib. II. Cap. III. §. 13. I. N. & G. illos VULGUS dicit, qui auctoritate discunt justitiam: REGES autem erunt, si justitiam discant ex interiore & accurata, hoc est apodictica consideratione inclinationum humanarum ad comoda hujus tantum vitæ Lib. II. Cap. III. §. 14. I. N. & G.

143. Omnes isti veritatem sicut speculativam, ita practicam Ratione demonstrare promittunt: & jubent nos præjudicia ponere. Igitur produnt, quid per PRÆJUDICIA intelligunt, nempe OMNIS AUCTORITAS animum nostrum regens, PRÆJUDICIUM est, præcipue autem AUCTORITAS DIVINA.

Sive: omne illud judicium, est præjudicium, cui non præcessit demonstratio metaphysica aut mathematica. Sive sentiunt, ante omne judicium morale debere

here præmitti rationes metaphysicas, nisi fiat, præjudicium esse.

144. Quam autem hoc male ipsi fuerint exsecuti, HEINECCIUS sententia lata decrevit, in præfatione ad suum Jus naturæ ac Gentium ita perorans: *Quicumque adhuc in pulcherrima illa disciplina versati sunt, illi doctrinas suas vel NULLI CERTO atque indubio principio superstruxerunt, veritates varias, easque utilissimas velut una fasce collegisse contenti; vel principia PARUM IDONEA admisserunt; vel denique tam longe ex subtilissimis, quas METAPHYSICA suppeditat, notionibus petierunt, ut DATA veluti opera TENEBRIS OMNIA INVOLVERE voluisse videantur.*

145. Igitur deducti fumus tandem ad extremam classem eorum, qui genus humanum à præjudiciis sanare contendunt. Hi præjudicium videntur dicere OMNE JUDICIUM CAPTUM ANTE RATIONEM DEMONSTRATAM, in quacunque materia speculativa ac practica.

146. Quid his sub cineribus lateat, jam exploremus. Idque faciemus ope versiculi Tulliani: *Quis quid ubi*, quæ facilis erit, ut in re abstrusa, methodus.

QUIS

Debet agnoscere rationes puras evidentes, ante quam judicium ferat, ita, ne hoc judicium dici possit Præjudicium?

147. AN id incumbit omnibus hominibus?

Vereor vehementer, ut possint omnes.

148. Wolffii & Puffendorffii gratiâ eximuntur vulgus, & ii, qui per ingenii hebetudinem demonstrationes nectere ignorant. Talis enim homo valde impudens est, si sui cerebri dictatis, quatenus à RECEPTIS SENTENTIIS abeunt, aliquid tribuendum putaverit. Lib. II. Jur. Nat. Cap. III. §. 13.

149. Ex hoc mihi certum est, fere omnes homines non debere ante judicia sua agnoscere evidentes rationes; quia fere omnes homines per ingenii hebetudinem ignorant nectere demonstrationes. Nam ex doctissimorum hominum ordine unus est Puffendorffius, quod serio dico, non ironice: quod ergo contingit Puffendorffio, potest contingere aliis hominibus ejusdem doctissimi ordinis, nec ille doctissimus ordo eximit illos, sicut nec Puffendorffium exemit. Atqui Puffendorffio contigit, ut per

per hebetudinem ingenii ignoraret demonstrationes nectere, non obstante doctissimo ordine, in quo consistebat. Igitur & aliis hujus ordinis hominibus potest hoc contingere. Contigisse autem id non semel Puffendorffio, ostensum est in *Larva detracta* pluribus locis, præcipue Cap. XII. ac XIII.

150. De hominibus autem, qui in inferiore ingenii subsellio consistunt, dubium nullum est, quin ignorent nectere demonstrationes.

151. Quodsi dicas, Puffendorffium non constitisse in summo gradu doctorum, sed cum eum multi correxerint, & errasse ostenderint: ascendamus paulo altius. D. Wolffius, & alii illius similes, hi certe consistere debent in gradu supremo. His ergo convenit nihil judicare nisi demonstratum. Et sane Wolffius hoc in se donum agnoscit, gratias agens Deo, quod non sit sicut ceteri hominum, quod ipse sciat se errare non posse; quod agnoscat, dudum se supra hanc imbecillitatem evolasse: in *proemio Ethicæ Germanicæ*, seu *vernünftige Gedanken von der Menschlichen Vernunft*. §. 1110. præcipue quod D. Wolffius novæ etiam ac rigorosæ methodi demonstrativæ, & scientificæ sit auctor & inventor.

152. Verum D. Wolffii infelicitatem in nectendis demonstrationibus videre est in *Larva detracta* Cap. XVI. & Cap. XVII. Et in *Diatribæ de methodo Wolffiana*, maxime Cap. V. Probatione secunda.

153. Quod autem Wolffio contigit, id contingere etiam potest Wolffii similibus.

154. Quapropter tam, qui infimi sunt gradus quoad doctrinam, uti vulgus; quam, qui sunt medii, ut Puffendorffius; quam qui sunt summi, ut Wolffius, non habent vim ingenii sufficientem ad nectendas demonstrationes.

155. Igitur nec infimus, nec medius nec summus ingeniorum ordo debet ante judicium habere demonstratas rationes: non debet, quia non potest.

Summus, medius, infimus ordo complectitur omnes homines.

Omnes igitur homines non debent ante judicium tales rationes evidentes habere, quæ illos aberrare nullo modo patiantur.

156. Igitur, aut necesse est omnes homines debere fieri alios, quam nunc sint, si præjudicia ponere in hoc consistit, ut rationes tales ante judicium præcedant.

Aut est necesse, illud non statim debere dici præjudicium, cui non